

tempore ab ea se juncturum affirmavit : atque ut arctiori vinculo necessitudo coalesceret , Blancam Capelliam , e patricio Venetæ nobilitatis sanguine ortam , uxorem ducere decrevisse ; non tam privati civis , quam Reipublicæ filiam sibi conubio juncturum arbitrari . Senatus decreto Sfortiæ responsum , summam ex eo nuntio Rempublicam lætitiā cepisse , quæ semper singulari amore Franciscum complexa sit ; hoc veluti pignore accedente , in posterum sibi omnia ab ea polliceri posse . Sanatus consulto Blancæ Capelliæ Reipublicæ filiæ nomen attributum . Bartholomæus pater , Victor frater Equites creati ; duo Florentiam legati ad Franciscum missi , Antonius Theupolus , Joannes Michaelius , qui compluribus e Venetæ nobilitate , atque aliis stipati , splendidiæ legationis munus obiere . Franciscus , qui de egregio Venetæ Reipublicæ in se ipsum animo , præclarisque significationibus gratias ageret , Joannem Mediceum fratrem Venetias misit . Turcis res eo anno in Perside parum feliciter cessere . Mustaphæ ab Amurathe Byzantium vocato , Sinanes , Guletæ ac Tuneti expugnatione clarus , est suffectus . Is novis copiis in Persidem delatus , atque ab hoste (quem viribus apprime auctum cognoverat) laceffitus , sub alexæ jactum , exercitum , quo Amurathis potentia nitebatur , ponere non ausus , Simbram se recepit , insistente in tergum hoste , postremumque agmen non sine interitu ac fuga Turcarum carpente . Persa victoriæ cursu proVectus , Carso paulo ante ab hoste munito , prope Caspium mare , decem millibus Turcis deletis , potitur . Mox tredecim equitum millium profligatæ copiæ , quæ sub Mehemetis filio præda onustæ , e Persæ ditionibus ad Sinanem Simbram revertē antur , victoriæ cumulus accessere .

*Antonius
Theupolus
et Joannes
Michaelius
ad Floren-
tiā Duce
oratores ele-
sti.
Turcæ im-
prospera bel-
lum adver-
sus Persas
gerunt .*

M. D. LXXX.

HI parum prosperi Turcarum eventus denuo de induciis inter Philippum atque Amurathem intentiore cura pertractandis occasionem præbuere , cum ambo ad eas pacificendas multis gravissimisque de causis impellerentur . Amurathes bello Persico occupatus , ingentes sui regni copias viresque in longinquas terras transmittere , præpotentemque nactus hostem ,

1579

H. Mauroceni . T. II.

T t 3

to-

1580